

et insolitum apparet: similiter est scientia qua vere cognoscunt effectus per causas, quod sine discursu non contingit. Ac denique in voluntate datur processus de intentione finis ad electionem mediorum, et ex dilectione necessaria sui quoad specificationem procedunt ad eligenda alia libere: ergo similiter in intellectu datur processus a principiis ad conclusiones: ergo discursus.

XIX. Respondetur jam supra satis responsum esse, et ostensum quomodo Angeli neque circa ea quæ obscure, et conjecturaliter cognoscunt, neque circa objecta supernaturalia habere discursum, sed semper procedere simplici intuitu quantum res ipsa manifestare potest de alia: nunquam vero procedere per distinctum lumen ab eo quo attingunt primum objectum in quo alia cognoscunt, sed semper carent lumine illativo quo cognoscuntur aliqua per modum connexionis, et consequentiæ tantum. Atque ita non sufficit quod Angelus per plures actus cognoscat de aliquo objecto ea quæ illi competunt, aut quia unum obscure, et aliud evidenter cognoscit, aut quia unum sibi revelatur prius, et aliud postea, sed necesse est quod cognoscatur unum ex vi alterius ratione connexionis, seu in vi illius tantum: hoc enim est cognoscere illative, et per consequentiam, seu lumine illativo, quod pertinet ad discursum, quia discursus non penetrat simplici intuitu essentiam, sed ratione connexionum deducit id quod non videt, sed infert ita esse; et sic est lumen consequentiæ, id est, ratione connexionis manifestans. Si autem non ex vi connexionis cognoscatur aliud quantumcumque diversis actibus cognoscatur, non fit discursus, nisi forte secundum successionem tantum, de quo non agimus in præsentibus

ut sæpe admonuimus. Et sic in omnibus exemplis, et instantiis, quæ adducuntur in oppositum est defectus, quia in nulla earum probatur dari duas cognitiones, et lumina, quorum unum deducatur ex altero tamquam ex principio magis noto, et manifestante alteram veritatem ut deductam, et illatam ex priori, ac per hoc in vi luminis illativi et per connexionem, et consequentiam, non per simplicem penetrationem veritatis videatur. Et bene stat quod de supernaturalibus plures illuminationes Deus Angelis faciat, sed in unaquaque attinget unico intuitu quidquid ad illam illustrationem spectat, et sine discursu. Quando autem advenit alia, etiam illam sine discursu intelliget, nec transit de una ad aliam in vi connexionis, et illationis, licet distincta illustratione detur, quod solum arguit discursum secundum successionem, non secundum causalitatem.

XX. Dicimus ergo quod in illis casibus vel obscuræ, et conjecturalis cognitionis, vel cognitionis supernaturalium per alienas species non dari processum de potentia ad actum per plures cognitiones, et lumina, quorum unum se habeat illative ad aliud, sed unumquodque vel utrumque percipitur simplici intuitu, et penetratione, non deductione, et illatione unius ex alio, ita quod lumen ejus ut manifestativum veritatis ex alio sit lumen illativum, et per illationem consequentiæ manifestans, non per simplicem penetrationem quidditatis, et eorum quæ sibi conveniunt, licet alias inter se connexa sint, quia ista connexio non est ipsa formalis ratio manifestandi, sicut in illatione, et consequentia, licet quia connexio rerum non est necessaria, sed contingens non manifestat Angelo rem certo, et evidenter in illo simplici intuitu, sed contingenter, et conjecturaliter,

atque adeo obscure. Auctoritas autem D. Thomæ allata nullo modo est ad rem, quia D. Thomas ibi cum dicit: « Angeli qui perfecte possident cognitionem, etc. » ly qui perfecte possident, non est particula restrictiva discernens Angelos, qui perfecte possident, ab Angelis qui imperfecte intelligunt, aut quando imperfecte intelligunt, sed est universalis distinguens Angelos ab hominibus, non Angelos inter se: dicit enim sic: « Ratiocinari est procedere de uno intellectu ad aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam; et ideo Angeli qui perfecte possident secundum modum suæ naturæ intelligibilem veritatem, etc. » Ubi loquitur de Angelis universaliter, et illa particula qui perfecte possident, universaliter omnes complectitur, et est perinde ac si redderet rationem, et diceret, Angeli quia perfecte possident, etc.

XXI. Ad rationem autem respondetur in illis casibus unico actu, et non pluribus, quorum unus deducatur ex alio, Angelum procedere. Et licet illo actu attingat unum objectum clare, aliud obscure, et conjecturaliter, hoc non est inconveniens, cum hoc sit respectu diversorum, et secundum inadæquatas rationes materialiter ibi inventas. Neque in hoc utimur doctrina supra tradita de intuitivo, et abstractivo: in his enim melius apparet quod idem actus possit respectu diversorum esse intuitivus, et abstractivus, eo quod intuitio, et abstractio tenent se ex parte diversæ terminationis ex parte objecti materialis; et ideo non est mirum quod eidem actui possit convenire respectu diversorum: at vero actum esse evidentem, et obscurum, non pertinet ad terminationem ex parte objecti materialis, sed ad motivum, seu rationem formalem, ex qua habetur lumen, sub quo aliquid vide-

tur aut clare, aut obscure. Unde difficilius apparet quomodo idem lumen possit in eadem ratione formali seu in uno actu unire rationem luminis evidentis, et obscuri. Dicimus tamen id non esse inconveniens respectu diversorum objectorum, quando datur diversa modificatio ejusdem luminis seu rationis formalis, ut applicatur diversis objectis, et ex tali diversa modificatione resultat illa obscuritas, seu minor evidentia in uno quam in altero, sicut etiam in visu externo, quia lumen externum diversimode modificatur prope, vel longe, et species rei propinquæ fortius moventur quam distantis, ideo bene stat quod eodem actu videndi rem propinquam videamus distincte, et rem distantem confuse, et obscure; et tamen idem actus videndi est et idem lumen, diversimode modificatum, et applicatum. Quid ergo vetat quod Angelus efficacitate sui luminis totam intelligibilitatem objecti aperiens videat eodem lumine, et actu comprehensivo, ea cum quibus habet objectum illud necessariam connexionem evidenter, et certo, ea vero cum quibus habet contingentem connexionem obscure, et conjecturaliter, et non certo? Sicut videt evidenter causam liberam vel contingentem, v. g. hominem, et inevidenter, seu conjecturaliter effectum futurum, quia ibi contingenter continetur, quia videlicet juxta diversas connexiones cum objectis diversimode applicatur, et modificatur lumen, ut hic sit clarum, ibi obscurum.

XXII. Quod autem circa unum possit esse iudicium Angeli verum, et circa alterum falsum, dicimus quod, ut bene notat Cajetanus in hac quæstione LVIII, art. v, in Angelo solum est falsitas virtualis, quia est virtualis compositio, aut divisio, quatenus intellectus Angeli simpli-

ei intuitu, et ad modum nostræ primæ operationis ex parte cognoscentis, attingit omnia composita, et quidquid nos attingimus nostra compositione, et divisione. Ille ergo actus simplex in Angelo, quo iudicat de diversis objectis, potest virtualement falsitatem habere, quatenus verum attingendo circa ea quæ naturaliter potest, non detinet illud iudicium, sed eodem modo procedit circa ea quæ conjecturaliter tantum sibi repræsentatur. Unde dæmon quando decipitur, ex præcipitatione sua, sicut et quando peccat, ex abundantia advertantiæ speculativæ, et malitiæ decipitur, et errat practice, quia videlicet pleno suo lumine advertit hoc objectum non ostendere talem veritatem nisi conjecturaliter seu contingenter, et tamen hoc advertendo vult ulterius extendi, et iudicare de illo occulto, et conjecturaliter tantum noto, ac si esset sibi certum, et evidens: in hac extensione deceptio est, et falsitas, sed conjuncta veritati, qua iudicat quid res illa ostendit certo, et quid conjecturaliter, et non obstante, quod videt non nisi conjecturaliter hoc repræsentare, non se detinet, sed vult ulterius procedere, et periclitari iudicium, dicendo quod ita sit determinate, et fortassis non ita est in re; et sic fallitur, ideoque dicit D. Thomas articulo quinto citato, quod dæmones non decipiuntur circa ea quæ naturaliter pertinent ad rem, sed circa supernaturalia. Cum iudicio ergo non deceptorio, sed vero circa rem naturalem, præcipitantur in rem sibi occultam. Unde ulterius fit, quod inconsideratio Angeli circa suam deceptionem aut peccatum est inconsideratio prævisa, et affectata, ideoque non minus ei inhæret, quam illi rei quam advertit. Et hoc ideo, quia inconsideratio ista non provenit ex ignorantia privativa, aut ex defectu scientiæ speculativæ, sed ex

præcipitatione qua sciens, et volens non se detinet, sed iudicat ultra quam potest, et inconcessa præsumit; unde magis est imprudens, quia magis voluntarie iudicat, et se applicat ad id quod non potest; et sic illud non detineri est majoris imprudentiæ, quia magis volens peccat, et consequenter major inconsideratio practica, seu defectus prudentiæ.

XXIII. Ad id quod dicitur de cognitione naturali, et supernaturali, quando ex naturalibus procedit ad cognoscendum supernaturalia, respondetur quod supernaturalia possunt cognosci ab Angelo dupliciter, vel supernaturali cognitione, vel solum naturali, scilicet prout in rebus naturalibus, seu effectibus, aliquo modo manifestantur, aut prout cum illis conveniunt convenientia aliqua, saltem proportionali. Primo modo non cognoscuntur nisi divina revelatione, non autem ex ipsis rebus naturalibus, quia in naturalibus non continentur supernaturalia ut in se sunt, cum illa incomparabiliter excedant; et sic non currit argumentum quod ea arguitive cognoscant. Secundo modo non possunt supernaturalia aliquo modo cognosci ex solis rebus pure naturalibus sive per discursum, sive sine discursu, quia nullo modo continentur res naturales in naturalibus, nisi secundum potentiam obedientialem, quam Angelus naturaliter nullo modo cognoscit et sic ex illa non potest elicere, neque per discursum, neque sine illo, cognitionem rei supernaturalis positive, sed solum in communi, et in confuso, quod Deus potest ex illa creatura plus facere, quam nullus valet intelligere, quod est ex cognitione rei naturalis elicere cognitionem divini omnipotentis, ut superexcedentis omnia; et hoc sine discursu facit Angelus, sed simplici intuitu, et

eodem lumine, tantum percipiens de omnipotentia Dei, et de ordine supernaturali in confuso, et in communi, quantum in illa re naturali manifestabilis est. Cæterum si videat aliquem effectum supernaturalem positivum ut suscitationem mortui, aut negativum, ut non videndo personam creatam in humanitate Christi, et tamen videns talem hominem subsistere, et subsistendo operari, tunc Angelus ex naturali lumine sine ullo discursu iudicat id quod illi effectus manifestant de se, scilicet aliquam causam superiorem tota natura, ibi esse a qua ille effectus procedat, et nihil amplius (nisi temerarie, et imprudenter iudicet, ad quod etiam discursu non indiget, sed præcipitatione ducitur) ad hoc autem non indiget discursu, quia totum hoc manifestatur sibi in ipsa naturali, et simplici penetratione effectus tam insoliti, videlicet in illa carentia personalitatis propriæ videndo quod subsistit, et existit illa natura humana; et in illa resuscitatione mortui, quam videt a nulla causa naturali posse procedere. Si autem res naturales cognoscit Angelus solum in quadam proportionem, et confusione seu analogia ad res naturales, sic non indiget discursu, neque argumento deducente unum ex alio, sed in ipsa penetratione simplici rei naturalis, etiam proportionem cum supernaturali cognoscit, quia hoc non est aliud quam cognoscere ens in communi, vel qualitatem in qua communicant naturalia, et supernaturalia, et hunc conceptum sine discursu formare potest.

XXIV. Unde patet ad probationem, qua dicitur ad ista omnia procedere Angelum de potentia ad actum, quatenus ex suis viribus naturalibus ea non attingit: dicimus enim quod ad attingendum supernaturalia in confuso, et in communi,

vel prout in aliquibus effectibus externis manifestantur non est in potentia, neque procedit de imperfecto ad perfectum magis quam ad cognitionem ipsiusmet effectus, aut rei naturalis in quo id videt, quia posita cognitione effectus fertur in omne illud quod in tali effectu manifestari aut contineri potest sine alio lumine illativo, quod ex vi deductionis, et consequentiæ talem veritatem manifestet. Quod si in tali effectu res illa non continetur, nisi pure negative, et per potentiam obedientialem, non poterit neque arguitive, et per discursum, neque sine illo talem rem cognoscere ex vi effectus illius.

XXV. Ad primam confirmationem jam responsum est ex dictis, quod supernaturalia si nullo modo continentur in effectibus naturalibus nisi tantum negative, seu per non repugnantiam, non possunt Angelo manifestari ex vi cognitionis rerum naturalium, neque per discursum, nec sine illo. Si vero aliquo modo continentur in aliquibus effectibus, hoc ipso sine discursu attingentur ab Angelo vidente talem effectum, quia in ipso videt simplici penetratione, et intuitu quidquid ibi continetur, et eo modo quo continetur, et quidquid nos arguitive, seu per discursum ex tali effectu posse colligere, et accipere totum id simplici penetratione, id est, eodem lumine, et non per lumen illativum videt, nec per consequentiam ex alio priori lumine. Quod autem possit dæmon errare, et decipi, non obstante quod unico intuitu rem videt, jam dictum est quomodo id possit contingere respectu eorum quæ Angelis occulta sunt, et contingentem connexionem habet et tamen vult determinate de eis iudicare.

XXVI. Ad secundam confirmationem dicitur, quod admiratio in Angelis potest contingere respectu eo-

rum quæ sibi sunt occulta, et tamen aliqua indicia, vel effectus vident, quorum causæ supernaturales sunt, ut visa resurrectione mortui facta a Christo, de cuius divinitate non essent certi, aut visa negatione personæ creatæ in ejus humanitate, poterant admirationem habere de causa sustentante ipsam. Sed illa admiratio in Angelis non incitat ad inquisitionem causæ per discursum, sicut nos, sed ad habendam illustrationem a superioribus Angelis, vel a Deo de tali re occulta, quam sine discursu accipere debeant. Et hoc modo introducuntur aliquando Angeli in Scriptura quærente aliquid sibi ignotum, ut Psalmo xxiii: *Quis est iste Rex gloriæ? Isai. lxiii: Quis est iste qui venit de Edom? Quam interrogationem, de Angelis intelligit Dionysius vii capite cœlestis hierarchiæ. Quod autem dicitur de scientia, respondetur illam esse in Angelis per cognitionem causæ, et effectus ex parte rei cognitæ sine aliquo discursu ex parte cognoscentis, sed ex hac parte habet scientiam eminentiori modo, quam nos, scilicet in principiis cognoscendo conclusiones sine ullo lumine illativo, sed per lumen comprehensivum. Nos autem inferiori modo intelligimus causam per se, et effectus per illationem ex causa. Ad id autem quod dicitur de processu voluntatis a fine ad media, respondetur esse disparem rationem inter intellectum, et voluntatem, quia voluntas ex perfectione sua habet quædam bona necessario diligere, alia vero libere, unde non pertinet ad ejus perfectionem, quod amato fine, statim amet omnia media, sed potest pro sua libertate hoc assumere, et illud relinquere, licet per accidens si sit tantum unum medium, feratur in illud necessitate quadam ex suppositione finis voliti, non simpliciter. Et tamen in illud*

in quod fertur libere ex electione, eodem actu fertur quo in finem, nec in fine sistit, licet non omnia media velit, ut infra disputatione xxiv dicemus. Perfectio autem intellectus petit, ut nihil eum lateat, sed omnia videat quæcumque videre potest: unde est imperfectio ejus procedere de potentia ad actum, et tanto est perfectior, quanto plura in actu intelligit, unde non est simile in processu voluntatis, et intellectus. Quæ est solutio D. Thomæ infra quæst. lx, art. ii.

DE COMPOSITIONE, ET DIVISIONE
INTELLECTUS IN ANGELO.

XXVII. Dicendum est secundo, intellectui Angeli nullo modo competere compositionem, aut divisionem, et ex eodem principio debere negari, ex quo negamus ei discursum. Ita D. Thomas in præsentis quæstione lviii, art. iv, ubi communiter omnes ejus discipuli, et videri etiam potest quæst. xvi de malo, art. vi ad ii secundi ordinis, et in ii, distinct. iii, art. ii in corpore.

Et ratio est eadem quæ allata est ad negandum discursum in Angelis, quia intellectus utens compositione, et divisione est ille, qui viso, et intellecto aliquo extremo, non statim videt in illo id quod sibi convenit aut a se removetur; et ideo indiget alterius extremi cognitione distincta, quæ comparetur cum prima ad videndum an sibi conveniat vel disconveniat. Unde formaliter loquendo compositio non consistit in eo quod pluribus speciebus intellectus utatur ad aliquid integre, et perfecte cognoscendum, sed quod indigeat comparatione, et conferentia unius cum altero ad eliciendum judicium, et cognitionem de convenientia vel disconvenientia talis prædicati ad tale subjectum: testa-

tur enim debilitatem luminis intellectualis, quandocumque non potest directe, et simplici intuitu penetrare connexiones rerum, sed indiget circuitu, et comparatione unius cum alio, ut ex tali comparatione rerum manifestationem eliciat. Si autem ommissa omni comparatione, et conferentia unius extremi cum altero, potest quodam simplici intuitu, et lumine utrumque extremum, ejusque connexionem attingere, sive utatur pluribus speciebus, sive unica, si tamen manifestatio, et lumen inde ortum penetrativum est, et comprehensivum ipsarum rerum, et connexionum, hoc ipso differt a lumine collativo, et ex comparatione rerum orto, quod semper est lumen debilissimum, sicut valde differt in rebus corporalibus oriri lucem ex collisione, et attritu corporum, vel ex directa emissionem radiorum a luminoso. Cum ergo Angelus habeat lumen intellectuale perfectum penetrativo et comprehensivo modo tendens in objecta, quæ sibi proponuntur, non comparativo et collativo modo, consequenter non convenit illi compositione, et divisione uti ad manifestationem connexionis extremorum, et veritatis, sed simplici quodam intuitu, quia lumine quodam penetrante, et non comparante utitur.

XXVIII. Ad fundamenta autem p. Vasquez supra indicata referendo ejus sententiam, videlicet quod Angelus debet componere, et dividere, quando attribuit subjecto aliquid prædicatum supernaturale, quia hoc non potest per speciem rei naturalis, nec per conceptum ejus cognosci, et sic indiget duplici conceptu, et specie. Et similiter divisio non fit nisi per cognitionem duplicis extremi, quorum unum non repræsentatur in specie, seu conceptu alterius, aut illo viso, ut quando dicitur homo non est lapis: nec enim

lapis repræsentatur in conceptu hominis: ergo indiget duplici specie seu conceptu: ergo utitur compositione. Quotiescumque enim intellectus indiget ad cognitionem extremorum duplici conceptu vel specie, hoc ipso utitur compositione, quia non possunt illi conceptus adnari ad repræsentandam illam veritatem, nisi mediante aliqua comparatione, vel collatione. Denique, in intellectu Angeli est veritas, et falsitas formalis: ergo compositio, et divisio, quia solum in illis agnoscit D. Thomas veritatem, et falsitatem.

Sed ad hæc respondetur ex dictis.

XXIX. Ad primum dicitur, quod quando supernaturalia cognoscuntur ab Angelo convenire extremis naturalibus, verum est, quod species rei naturalis secundum se non repræsentat Angelo rem supernaturalem distincte, et clare; potest tamen repræsentari supernaturalis res per aliam speciem, vel propriam de tali re supernaturali, vel connotativam, et per respectum ad aliquem effectum, vel rem naturalis ordinis. Si repræsentetur res supernaturalis per speciem propriam, et supernaturalem, talis species repræsentat rem illam cum suo subjecto quasi in obliquo, et secundo, ita quod sicut per speciem naturalem alicujus substantiæ, seu subjecti petit Angelus sibi repræsentari ejus accidentia, quia illi conveniunt, illi connectuntur, ita e converso per speciem rerum supernaturalium petit sibi repræsentari talia accidentia non seorsum a subjecto, sed prout in illo, quia debent repræsentari eo modo, quo a Deo fiunt per ideas suas, et secundum statum quem habent, et existunt in re, sunt autem in subjecto; et sic in illo repræsentari debent; et ratione talis repræsentationis potest Ange-